

B

— 05.575

III

Decim Valentini  
Oratōri missi H

S. XVI

F-6

Valentiae  
1549

64

1860-1861

1860-1861

*Nicomedes*  
C.V.  
23

R 116

io Rh



Francisci Decij Valentini  
PATRIBVS IVRATIS PRO MVNERE  
Oratorio Musis nuper condito Eucharistia, per  
discipulum Pontium Patricium adolescentē  
publicè habita. Valentiae.  
Ex officina Ioannis Mey Flandri. 1549.

# Franciscus Decius Valentinus, PATRIBVS IVRATIS. .S.



V<sup>m</sup> politiora humanitatis studia tam disciplinis omnibus comparādis, q̄ ijsdem exercēdis necessaria esse uiderē, conceptū meū animo rationem, quonā illa pacto in his scholis augerentur. Occurrebat primō illud eloquentiae locupletandæ certissimum argumentum, si binæ singulis diebus lectiones essent, quarū altera præceptiones traderet, altera uero grauissimorum autorū exempla illustrandis illis adhiberet: ut hinc ars, īnde artis opera studiosis iuuēnibus innotescerent, & in alterutro utrumq; plenē cognoscerent. Videbatur enim plurimū conferre ad profeſtū oratorium, si audientium animū præceptis artis semel institutū, exemplorum ratio confirmaret, ut hoc modo auditores ad ipsam imitationem non tam directi, q̄ manuducti uiderentur. Tum cēmu latio prostratos interpretum animos erigeret, neq; extingui studia pateretur, quæ cōtentioñis igniculis multū incenduntur & inflammantur. Quām sanè rem cūm diu mecum parturirem, ecce mihi commodū pariendi tempus proximo anno appropinquare uisum est. Nam cūm fortè fortuna amicissimorū Consulum sortitio facta foret, cœpit statim hac occasione partus instare. Vbi cūm enixus illi fierent, & clamo res magni audirentur, accurrit cōtinuò Rector humanissimue q̄m diligenter (ut eius mos est in studijs proferendis) obstetricatus, manibus tandem suis pulcherrimā hanc prolem excepit. Cæterū cum de nutrice quæreretur, productus est à me in mediū uir doctrinæ non uulgaris, cui fœtus tutò tradi posset. Hæc eò dicta sunt, ne quis porrò si bi diuina hoc fætū prouidentia blandiatur, & tumorē hunc christiano uiro indignū & pulmonibus suis auellat. Vanissimus enim sim, si mihi persuadeam, ita me dijs esse curae, ut grauissimis rebus occupati, de homunctionis huius nugis cogitent: nisi iam aliquo Dauo audire cupio, id Iupiter curat scilicet. Quare uos Patres oratos uelim, ut munus hoc à maioribus uestris in hanc scholam sapientissimè collatum, magnorū Gymnasiorum exemplo non modo confirmandum perpetuò, sed augendum libe ralitate uestra curetis. Quæ si feceritis, dubiū non est, quin præter hominum laudem & insignem mortalium commendationem, perpetuam pro hoc facto gloriam adipiscamini. Valete.

**F. Decij Valeñ, pro nouo  
muniō Rhetorico, sex viris Consulibus, ex ordine eque  
stri, Ioanni Guillermo Catalano, & Gaspari Ioannio:  
ex Ciuiti verò, Honorato Benedicto Vidalio,  
Michaeli Olessæ, Francisco Tagellio, Ono-  
frio Lazaro Inacho, gratiarum actio.**



Vòd Valentinam Academiā hanc oīni  
ni genere doctrinarum alioqui semper  
florentissimam, auctam nunc omnes, &  
magna studiorum accessione locupletas  
tam hoc anno videamus, gaudere pro-  
fecto, exilire, ac triumphare auditores doctissimi debe-  
mus. Siquidem Patrum Iuratorum beneficio factum est  
vt Rhetorica facultas, quæ olim altero quasi pede tarda  
incedebat, vt roq; nunc expedita gradiatur. Etenim alia  
scholarum membra multorū diligentia integra quidem  
& sana, vigorem suę virtutis obtinebant: hoc verò, incu-  
ria dicam nostra, an maiorum vestrorum Patres parcita-  
te? ita exiliter nutriebatur, vt ieiuno pastu arescens, non  
tam viuere, q̄ mori videretur. Addite quod in hoc gym-  
nasij corpore, nullum membrum Rhetorica arte magis  
præcipuum esse debet, vnde quasi à capite quodam, in e  
liqua membra virtus defluit & spargitur. Nam Orato-  
ria disciplina alijs artibus, quæ polito sermone non tam  
ornari, quam constare solent, benè & aptè loquendi com-  
modat facultatem. Quare non poterant disciplinæ aliæ  
non hac parte multū laborare, & benèdicendi copia

A ij destis

destitutę, non secus ac membra carne exuta, clanguere.  
 Sed tandem, dñs gratia, exortus est vir inter nos, cui men-  
 tem istam illi tam utilem & honestam afflarent. Is igitur  
 pr̄cessores vestros de hac re subinde compellās, ne-  
 quid amplius h̄ic desideraremus effecit. Habemus ergo,  
 quod optare votis poteramus. Quid igitur auditores su-  
 perest, nisi vt illis pro tam utili munere bona omnia pre-  
 cemur? quanq̄ aliud maius superest, in quo magis illis gra-  
 tias agere possimus, si nos dignos eorum beneficio stu-  
 d̄is nostris ostendamus. Etenim quid pr̄stāt militi ful-  
 gentia arma, quid anceps gladius, si nunquam vtitur, sed  
 sit upatitur & rubigine obduci? Quantò melius est me-  
 diocri ense, virtutem suā: quam probato, ignauia īdica-  
 re? An non erit prodigiosum, si pernici equo insideas,  
 quo solo ad fugam, & non ad pugnam vtaris? quare hoc  
 tanto dono videtis non tam vos Iuuenes esse ornatos, q̄  
 oneratos. Debetis hanc diligētiā primū vobis, quo-  
 rum studia eō diriguntur, vt per ea vobis laudem, opes,  
 gloriam, nomen, & autoritatem compareatis. Deinde  
 Iuratorum munificentiae: qui tam abunde benedicendi  
 rationē hoc anno auxerūt & cumularunt. Etenim quid  
 turpius esse potest, quam talium virorū cogitationes deci-  
 pere? quid foedius, quam animis nō respondere? quid ab-  
 surdius, quam conceptam de vobis expectationem falle-  
 re? quid sceleratus, quam ingratitudinis manifestam no-  
 tam et crimen subire. Hactenus habebant multi ignauiq̄  
 suę parvam, at nunc hoc munere addito, omnia honestę  
 defensionis arma detracta sunt. Nil superstaliud, quam

vt

## EVCHARISTIA.

ut peracti rei, delicti culpam agnoscamus. Sed dicā iam de amabili Iuratorum in literas benignitate: deinde pauca de scholasticorum officio subnectam, quæ vbi absoluebro, finem orationis meę adesse omnes intelligetis. Ac primū offert se mihi patres ad laudis vestrę memoriā singularem, ingens negotiorum pelagus, quod statim ab inito magistratu incipitis pertranare. Vbi quis solicitudinum vndas exponat? Quis fluctus curarum narret? tantum tempestatis? tantū scopulorum? Prouidendum ēst vobis, at cui rei? Nūm domui vni? nūm pago, aut oppidulo? minimè gentium. Imò ciuitati frequentissimē, imò regno florentissimo. Hoc pondus vos geritis, quod non Atlas, qui cœlum: non Hercules ipse qui mundum portasse dicitur, sustineat. Videte ergo, quantum sarcinę vobis cū purpura ista imponatis. Dispeream nisi plumbum ad istam sericam corollam, quam vos gestatis, collatum leuissimum est. Hic igitur quanta prudentia annonam curatis? quanta prouidentia frumentariā rem molimini, cùm opus sit orbe ferè ipso exhausto, vt tanta ciuitas pascatur? Nam quid dicā de gregibus, quos tota Castella conquisitos atq; collectos, incredibili diligentia agitis in hanc urbem: tanto studio atq; industria, vt aliæ orbis partes suis fructibus per vos dispoliate, caritate ipsorum continuò laborent: hic verò quasi in communī orbis emporio, vilissimè omnia diuendantur? Testimoniō sunt vicinę vrbes et nationes alioqui opulentissimę, quæ superioribus annis frumento destitutę, beneficio vestro magnę famis vitarunt acerbitatē. Nam cùm eo tem

A ij pore

## F. DECIL.

pore sua frugum vbertas , ac ingentis glebę feracitas an-  
nua propemodū siccitate, et cœli nostri inclemētia, pin-  
guissimis hyberię terris sublata foret, vos soli Catalanis,  
vos Aragonicis , vos Castellanis , breuiter , hęc ciuitas  
vnà Hispanię toti, horreū fuit inexhaustū. Recursitabāt  
huc subinde iumenta, remeabāt nauigia, que flauis messi  
bus onerata, vrbes alias abunde alerēt, tam faustis omniū  
populorum in vos precationibus , vt etiā nunc seruatos  
se illi benignitate vestra, nisi ingratissimi esse velint, pro-  
fiteātur. Porrò autē hac solitudine distracti ab epulis se-  
pe abstinetis, cibo parcitis, geniū fraudatis, deuoratis fri-  
gus & æstū, noctes insomnes transigitis , in summa cur-  
situdinis, queritis, cogitatis, qua ratione dormientibus no-  
bis victus crastinus nondesit, imò etiam quopactō vilius  
omnia comparantes minimò victitemus. Quod si quis  
talem haberet domi scruum, quales vos estis vniuersę ci-  
uitati, non quæso illum fratribus, non filijs ipsis antepone-  
ret? & tamen vos sæpe pro tot collatis beneficijs, pro tot  
laboribus exantlatis, vulgo auditis dissipatores, prodito-  
res, dicā etiā quod audio? fures, ac depillatores, adeò in-  
grata esse solēt officia, que in vulgus spargūtur. Clamat  
populus carius panē à pistoribus diuendi, continuò Con-  
sules accusant. Vociferatur pistor vnciarū additione se-  
ad paupertatē redigi, & hic quoq; Iurati reprehēduntur.  
Deest frumentū, sequit statim plebs, & vobis incēdia mina-  
tur: superat et abūdat, nimia illa diligētia dat' vicio. Quæ  
quousq; tandē placari poterit: et officio vñ o contēta viue-  
re? quicqd in vrbe peccatur, imò si nihil peccat, vobis sta-  
tim

## EVCHARISTIA.

tim dies dicitur, vos in ius vocamini, capita v̄ra & bona  
diris deuouētur. Prò vulgi ingratitudinē & iniquā plebis  
leuitatē. Hęc si vera nō sunt, impudenter mētior: sin sunt,  
quo satis digno sermone integratē istam vestrā cū pa-  
tientia coniunctā collaudemus? nocte tota, dormiētibus  
altè alijs omnibus, mens vobis anxiè vigilat: ipso autem  
meridie, cùm vulgus cibum iam coquit, vosefuritis: &  
tamē ille ventre ingurgitationibus benè distento, haustis  
innumeris poculis, epulis in stomacho vino natātibus, te-  
mulēter in vos debacchabit? pestilētissimas imprecatiōes  
eruētabit? supplicia spirabit ęterna? detestatiōes exhala-  
bit atrocissimas? Quanq̄ tollerāda hęc vtcūq; in plebe, ve-  
rū quis ferat ecclesiasticos hoīes huius quoq; tragediæ  
mimos, & histriōes? qui perciti nescio quo æstro, quicqd  
hauserūt è fece vulgi, in ipsos quoq; Iuratos furiosè euo-  
mūt, pulpita ipsa loca quidē sacerrima effutitis mēdacijs  
turpiter poluētes? qbus, p more est huiusmodi exclama-  
tiōibus, abhominatiōibus, querelis, turbis, populū cōmo-  
uere, plebeio furorifaces ministrare, vulgi patrociniū vē-  
ditare, miseriā eius & infelicitatē deplorare, consulū ini-  
quitatē detestari, omnibus concionibus huius argumēti  
particulā infercire, deniq; hoc habere pro certissimo re-  
fugio, quò dicendorū materia destituti recurrāt. Hi pro-  
fectō mihi nō tam plebis negociū, quā suū agere vident,  
qui popularibus orationibus tumultuātes, furibundū po-  
pulū, quē cōpescere debuerūt, incendūt: charitatisq; pre-  
textu immanitatē summā, ne dicam impietatē exercent.  
Sed vanos profectō hoīes, qui cùm priuatā domū suā

A iiiij guber

F. DECII.

gubernare nesciant, de publicis rebus decernunt: inex-  
 pensisq; causis ac temporum varijs mutationibus, quæ  
 præter spem illis eueniunt, statim accusant. Ignorantes sa-  
 nè multūm in temporis alternis vicibus, plus in occasio-  
 num impedimentis, plurimum verò in alijs multis euen-  
 torum causis ad vtriusq; fortunæ momentum esse posis-  
 tum. Hæc cùm ipsi parùm considerent, indicta scilicet  
 causa, quos defendere debuerunt, damnant: insanamq;  
 plebis inscitiam auxilio suo fouent, homunctiones ita sepe  
 parum cauti & stolidi, vt emendis numo oleribus, obo-  
 li fraudem à mulierculis patientur. Tales ergo Catones  
 publicarum rerū censurā exercent, qui benè domui suæ,  
 vbi tota familia puillus est, nesciunt imperare. Sed dñs  
 gratia patres, quod tales estis, qui facile huius monstri  
 fremitus tollerantia vestra vincatis: cōtenti scilicet Chri-  
 sto deo, à cuius munere munus istud accepistis, satisface-  
 re. Alioqui ferre quis posset tam effrenē insaniam? tam  
 temulentam temeritatē pati? Quod ergo inter tot tan-  
 tasq; honestissimas curas (neq; enim Hospitale negotiū  
 temporis angustia meminisse nunc possum) nostri recor-  
 demi: quod vobis tot cogitationibus distractis totq;  
 rebus maximè serijs occupatissimis à mēte & animo nō  
 excidamus, plus certè q; animā debemus. Mactiergo vir-  
 tute sitis, quibus parū esse videt nostrorū corporū, nisi in-  
 susp etiā mētis agatis negotiū: nos verè felices, talibus pa-  
 rentibus: securi, talibus patronis: ornati, talibus dominis.  
 Hac ergo in nos charitate nuperrimè incēsi, hoc literarū  
 amore inflāmati, eā musā cuius pectine et calamistro reli-  
     que

## EVCHARISTIA.

que ornantur atq; comūtur, colendam in Academia hac, maioriq; sumptu celebrandam censuistis, sanè ut haberēt aliæ, vnde porrò amplius multò cerasam & colorem mutantes, aucta forma, in publicum & frequentius prodirent, & venustiores apparerent. Nam quid quæso disciplinis alijs nitorem addit? Rhetorica. Quid facundiam & copiā? Rhetorica: Quid sermonis proprietatē? Rhetorica: Quid veneres & gratiam? Rhetorica. Quid vocem commodam & gestum? Rhetorica: breuiter hæc verborum castimoniæ studet, hæc compositionis ornamētis operam dat, hæc totius sermonis honestamenta quærit, rudia polit, scabra detergit, inepta excludit, reiçit insuauia, inuenit vtilia, accōmodat vnusta, disponit efficacia, pronūtiat grata, quid queris? toti homini, animo, corpori, vultui, voci, manibus, modum quendam adhibet, et ratione certa dominatur. Nam agitedūm reliquas mihi sine hac cōtemplamini? Aliæ sordent, aliæ delirāt, aliæ tumultuāt. Etenim dialecticæ sororis, quæ rationalis scientia est, mētionein obiter faciamus. Quoties hæc obsecro Rhetoricæ prēsidio destituta, garrire verius q; loqui, balbutire magis quam differere videtur? Quoties item illā multi in publico Gymnasij theatro exhibilarūt, vt turpiter loquacem, rusticè garrulam lymphatico quodam gestu debacchātem? vidi equidem illam hisce oculis, vidi. P. saliorum more tripudiantem, digitis sortientem, brachijs digladiantem, beluino fremitu boantem, hos & illos conspuentem. Talem ego Dialecticam sum apud nos sepe contemplatus, raro germanā illam veritas

A v tis

tis indagatricem, modestiæ et vrbani tatis studiosam, que  
 nesciat superbire, garrulare, cauillari, obloqui, insultare,  
 obtundere, scuriliter & mimicè gestire. Nam quoties  
 ridere ioculariter solemus dialecticos quosdam, in pub-  
 lico histrionicam agentes? hic mihi in area disputando sal-  
 titat, et quasi choraulā dicit. Ille micat digitis, et ductu  
 brachiorum aërem semper verberat. Alius ferit ac refe-  
 rit, pulchrè gladiatoriā exercens. Alius blaterat, & incō  
 cino clamore enecat auditores. **Q**uidam prehensis se-  
 pe digitis indicant, quod nusq̄ est. Nonnulli impudēter  
 derident aduersarium, actoruitate vultus & oculorum  
 perpetuò illi exprobrant inscitiam. Sunt etiam qui paulò  
 iratores facti, feroceq; contentionis ebuentes, incir-  
 cunstantem coronam sputum inhonestè spargunt. **Q**ui  
 omnes & modestius agerent, & facilius ad veritatis se-  
 dem peruenirent, si ab vtracq; sorore simul ducerentur.  
 Nunc autē quò inferiores causasunt, hòc magis setali ac-  
 tione superiores euadere contendunt: nil prius habentes,  
 quā vt clamoribus defessos vincāt. Iam his in disputādo  
 quod frigus magis frigidū, si rem ipsam contemplemur?  
 nihil rationis multi adferunt, sed statim argumentationē  
 totā, autoritate et loco finiūt, male illo quidē sepe obiec-  
 to, sed peius saepius interpretato: atq; ita ambo à dispu-  
 tatione discordes cùm abeāt, vterq; tamē sibi canit vic-  
 toriam. Sic mihi, inquit ille, Aristoteles scripsit: cōtra ve-  
 rō alter, sic mihi idem sensit. Pugnat ergo horū senten-  
 tia Aristoteles cum Aristotele, ita vir ille egregius variè  
 varijs, & scribere dicitur, & sentire. Tum si quid est ma-  
 nifestè

## EVCHARISTIA.

nifestè absurdum, clamant defendendus vtcunquè est.  
Quasi verò defendere sit, prestigijs illudere, & aliorum  
mentibus cauillis imponere, tum locum torquere, & ad  
suam (vt aiunt) defensionem (si dījs placet) deprauare.  
Hos equidem nō Dialecticos (id est) veri indagatores,  
sed defensores Aristotelis ridiculos appellem: qui tales  
nobis Aristotelem configunt, qualis nemo inter natos  
præter Christum fuit, qui ignorare nihil potuerit. Preſer-  
tim quod hic autor tantus, ita multiscereus est, vt ex eo  
nunc hominem, nunc brutum: nunc album, nūc nigrum:  
nunc verū, nunc falsum: pro arbitrio suo effingāt. Egre-  
giam hominis laudem, qui ita scepticus sit & varius, vt  
quasi speculum quoddam, quam velis intueri imaginem  
repräsentet. Sed horumridicula certamina & vanas mo-  
nomachias, que in publico huius scholę theatro fiūt, ſepe  
vos auditores ad cachinnum vſq; ſpectastiſ. Prodibant  
enim quidam in campū, et enſem audacter primò strin-  
gebant, ſed ita illum rubiginosum, vt magno tandem co-  
natū sudantes, euaginare vix poſſent, tantum abeſt vt al-  
tè facerent cicatricem. Alij punctim feriebāt, ſed gladio  
plumbeo, qui cùm ſe aduersarium transfodere putarent,  
retuſa tandem cuſpide ridiculi diſceſſerunt. Fuere quo-  
que nonnulli, qui perpetuò occupati in telo contorquen-  
do, nunq; iaculum emitterent, ſed victorię loco ponerēt,  
ſi minis vtcūq; aduersariū deterrerent. Inter quos prete-  
reundi illi non ſunt, qui Andabatarum more clauſis ocu-  
lis pugnantes, aduersarij vmbriam pro corpore feriont.  
Occurrabant quoq; qui ſtrepitū verborum tumultuan-

A vj tes

tes, non tam intelligi, quām audiri volunt: sed aperto be-  
 nē ore & ad rauim vsque rauco vociferantur. Hi sepe  
 non iam loquūtur, sed rudunt: & clangore inconcinno ex  
 hominibus anseres fiūt. Quorū amētia magna est, cū cla-  
 more opus nō sit ad persuadendā veritatē. Nam si quod  
 intendis verum est, pacato animo, et sedato sermone me-  
 lius percipitur. Si falsum, qui conuenit ardentiſſimo cla-  
 more mendacium alijs intrudere? antiqui illi sermonem  
 Philosopho conuenire tradiderunt, id est, tranquillum di-  
 cendi genus, et cotidianę cōfabulatiōi proximū, quò pla-  
 cido animo veritas inuestigaretur. At vos mutata ſcœ-  
 na tragicum inducitis, admirationibus, exclamatiōibus  
 & alijs id genus figuris obſtreperum, & tumultuosum.  
 Abigate quæſo Sophistriæ comites clamorē, peruicaciā  
 & impudentiā. Nam si illam tantoperè repudiatis, quid  
 ministros eius & ancillas retinetis? Quod si quis proter-  
 uia insuperabili ita contendat, vt in re manifesta vinci no-  
 lit, & hominē esse animal mordicus neget, hunc Anti-  
 cyrā statim relegate, vt edito helleboro purget insaniā.  
 Hoc enim erit satius, quām operam clamando ludere, &  
 cum talibus furiendo delirare. Quæ omnia in paucos  
 dicta velim. Noui enim esse permultos in his ſcholis ac-  
 curatè doctos, qui & argutè obijcere, & cautè responde-  
 re, tum vocē temperare, affectus comprimere, gestui ac  
 manibus moderari, politè etiam loqui & ornatè dicere  
 ſciant. Quorum peritia tanta est, vt eorum cauſa mag-  
 narum Academiarum desideria lenius feramus. Qui no-  
 bis hic Lutetiā ita ad viuū ſua doctrina repræſentant, vt  
     aut

## EVCHARISTIA.

aut ipsi iam Valentię eam non requiramus, aut quę sitam certè inueniamus. Sed redeo vnde digressus sum. Multum cumuli accreuit rationali philosophiæ ac perinde disciplinis oñibus hoc munere publico, quod tradēdę illuſtrandęq; oratoriæ facultati hoc anno à vestra. P. largitate additū est. Debent ergo vobis hoc nomine non solum mitiores Musę et humaniores, sed quicquid est literarū in hac florentissima academia, siquidem omnia hoc tanto dono aucta illustrataq; sunt. Corde enim refocillato, vniuersa corporis membra confirmantur: neq; potest medicina ea mediocriter prodesse, quæ ipsi capitireme, dio sit. Quo circa pergit, qua soletis liberalitate, nostri meminisse: & domum hanc, qua vna nulla est in hac urbe: neq; vtilior, neq; honestior, neq; clarior, prę oculis habete: in ea augenda, ornanda, colēda, pia contentione certate: alibi parcite, vt hic effundatis. Nil potestis prodigere, quod insumatis in rem literariam ampliandam. Nam si pietate ducimini, hæ vobis ædes in vrbe suppeditant. Si in escamini gloria, hoc ædificiū amplissimam parit. Si vtilitate mouemini, hoc solum & tecta abundè largiuntur. Sed hem infelicitatem nostrā, cur enim hoc tacebo? cur ea quę manifesta sunt, iniquo premam silentio? contemnitur hoc Sacellum, & cùm omnium vtilissimum sanctissimumq; sit, collatum alijs posthabetur. O Apollinis templum. O Sophiæ habitaculū. O Antra Musarum, ac verè antra. Nam quo alio nomine patres appellē subterraneas huius scholę caueas, & quasi ferarū latibula, tū parietes argilaceos non Musis, sed muribus aptissimos?

mos? præfertur nobis èdes Hospitalis, in qua corporis rei  
 vili simæ, si cum animis cōferatur, negotiū geritur. Præ-  
 ponitur mercatoria, vbi mercium ac pecuniarum ratio-  
 nes habentur. Prò hominū iniuriā, ita ne pluris est in hac  
 vrbe Mercurius unus, quām Musæ nouem? illi porticum  
 ereximus, auro fulgentem, fornicibus conspicuam, colū-  
 nis superbā: his verò parietes, solum, tecta, omnia deniqz  
 vetustate, fimo, et araneis obscura fœtēt, ac lugēt. Quod  
 nam est hoc iudicium tam præposterum? usuræ autorem  
 colimus, & virtutum magistrę contemnuntur? Quapro-  
 pter. P. I. si nihil hoc anno addere aut erigere nouū libet,  
 ruinosis saltem succurrite, & priusq̄ corruāt confirmate.  
 Hanc opem sentiat schola, si nihil aliud potest ampliusim  
 petrare. Stabilitate aliquid posteris, quod vestrū in literas  
 amorem testetur. Nam turpe erit in tam iusta causa &  
 honestissimo negocio Consulatus vestri memoriā nullā  
 & monimentū relinquere. Sed iam de hac re satis plura,  
 ne quorum magnificentissimam in nos liberalitatē lauda  
 re cœpi, videar nunc officium desiderare. Venio ergo ad  
 vos cōmilitones strenui, ita eñ libet appellare, quo scūqz  
 in his Musarum castris sub varijs signis atqz adeò centu-  
 rionibus militantes cerno, literarium hoc bellum quod  
 aduersus ignorantiam sapienter geritis, in uitè exercete:  
 vincendi animos primò concipite, neruos deinde inten-  
 dite, excubias agite, vigilias sustinete, labori perpetuò  
 incumbite, ducibus vestrīs obedite, victoriam inter vos  
 communem existimate, animate viciissim, urgete, iuuat-  
 e: tūm seditionem, castrorum perniciem & monstrum  
hor

## EVCHARISTIA.

horrendum fugite, pacē imprimis colite, rem studijs necessariā, & qua sublata omnia miscentur, perturbantur, confunduntur. Aemulamini, sed citra inuidiam. Contendite, sed citra rixam. Seruate præterea in omnibus modestiam & vrbanitatem. **Q**uid enim absurdius tumido? quid procacius superbo? quid petulante magis odiosum? Non enim conuitijs veritas inuestigatur, non contumelijs inuenitur, non sermonis & animi proteruitate defensit. Bonā causam perdit, qui malè agit, sic vos in dispu tando modestiæ præmium, non temeritatis & insolentiæ expectate. Arbitramini, id quod est, militare vos contra inscitiam, castra eadem habere, tum victoriam esse communem, pro qua vobis omnibus ex equo sit decertandū. Hinc fiet vt vos mutuis animis confirmetis, vicissitudinaria ope iuuetis, vitam, gloriam, & honorem aliorum proprium esse existimetis, nō pro vestra solum, sed pro sociorum quoq; causa contendatis. Sic fulgebunt ingenij arma, vires mentis acquirentur, memoriarum regnum propagabitur, copiæ dubiorum dissipabuntur, parabitur tandem triumphus nominis & gloriæ. O spem certissimam. O summam felicitatem. O doctrinæ imperium. **Q**uis enim pro hac Helena nō plusq; decēnium militet? **Q**uis non sæpe configat? **Q**uis non æstum & algorem toleret? **Q**uis non se morti certissimæ exponat? Addite quòd viros habetis in omni genere certandi clarissimos, quorum ipsi ductu victoriam vobis certam promittatis. Nam quid ego te nunc commemorem totius literarij exercitus summe Imperator, & Gymnasiarca doctissime?

simus, cuius auspicijs omnes militamus: quid singularem  
 tuā prudentiā, consilia certa, laudabilē industriam, soler-  
 tem curam, incomparabilem autoritatem, inuictam dili-  
 gentiam, perpetuā cōstantiam, breuiter, innumerās vir-  
 tutes recensebo? Quid præclara gesta recitem? quid insi-  
 nita tropheā Lutetię ac Valentię erēcta enarrabo? Ha-  
 beas alios tam insignium fascinorum prēcones, nō enim  
 ego Achillis tāti dignus Homerus esse possum. Tu Aca-  
 demiam hanc in officio contines, tu milites omnes guber-  
 nas, segnes excitas, timidos animas, lapsos erigis, nutan-  
 tes confirmas, saucios reficis, fugientes reuocas, cedētes  
 impellis, captos liberas, viētores ornas. Cēsarīs tibi cele-  
 ritas inest, ingeniū Hannibalī, Fabij maturitas, Scipio-  
 nis fortitudo, felicitas Alexandri. Quid ergo de te dicā,  
 qui vnu tam multorū egregia ornamēta exhauris? Ac-  
 cedūt sacrę phalāgis spectatissimi Tribuni, vita et erudi-  
 tione celeberrimi, iustis Imperatoribus pares: quorū dig-  
 nitas tāta est, vt neq; virtute, neq; dexteritate, mortaliū  
 ullis concedant. Porrò autem medicę legionis ductores,  
 quo satis digno sermone commendemus, quorū diligen-  
 tia multos vincit, & à nemine, quod sciam, superatur? Hi  
 quoq; cōmissos sibi milites instituunt, in aciē ſepe educūt  
 ad palū erudiunt, quo paētō alijs opitulari, & sibi cauere  
 possint, visitādis cotidie ægris, docent. Sequūtur centu-  
 riones dialectici, pyrgopolinices oēs, Iacertis, animo, &  
 voce ad militiam exercendā & bellū committendum nati,  
 quibus neq; ad scribendum exercitum diligentia deest,  
 neq; pugni quoq; ad certamen: nam mirum quām hic ol-  
 ligendis

## EVCHARISTIA.

I ligendis militibus insudent, feliciores profectò futuri,  
nisi gregarios, seruos, cludos, fugitivos, trans fugas, in-  
utiles & mancos ad militiam congregarent. Præibanc  
hos satis strenui Oratores, necq; consilij necq; disciplinæ  
suæ expertes, qui oratione alios ad pugnam incendere, et  
multùm in prælio confirmare possent: quorum sanè men-  
tionem facturus eram ampliorem, nisi me Grammatico-  
rum turba reuocaret, vbi calones, lixæ, fossores, ferenta-  
rij, in summa, impedimenta omnia exercitus sunt. Hi  
quanquàm viribus & corporum proceritate parum va-  
leant, numero sunt tamen & animis non contemnendi,  
nam pro se singuli acriter pugnant, & ante alios primam  
ignorantiæ aciem inuadunt. Sed finis sit iam orationis.  
Neq; enim qui sic sapitis, consilio: neq; qui tam strenue  
certatis, viribus: neq; qui tantoperc intenti estis ad om-  
nem prædam, monitione nostra indigetis. Tantùm pro-  
fessores vestros eosdēq; dominos meos orabo, vt vos in  
modestia cõtineant, ad literas stimulent, retrahant ab  
iniurijs, breuiter ad amorem mutuum, tum om-  
ne officium præstandum, & virtutem amplecten-  
dam exemplo suo hortentur. Quod si fece-  
rint, præter hominum commendationem, &  
benè gesti muneric gloriā, immorta  
le à Deo Optimo Maximo præ-  
mium ferent.

Dixi.

# F. DECIVS LECTORI .S.



VONIAM uideo esse nonnullos, qui cōsilium hoc nostrum in ora torij studijs proferendis aut ignorent, aut secus q̄ debent interprætentur, uisum est hīc alteris occurrere: alteris uero, si fieri potest, satisfacere. Quocirca utrosq; oratos uolumus, ut pro sua in literas pietate, & animi christiani candore, officij nostri rationem accipiant. Enim uero cūm intelligerem eloquentiae studia disciplinis omnibus assequendis tūm aditum aperire, tūm uiam facilem in sternere, cœpi contendere à Iuratis, ut nouo munere prælegendi addito, oratoriam facultatem ditarent. Quam rem cūm facile uolentibus persuaderem, utilissimæ leges magnarum Academiarum exemplo additæ sunt, quibus & artis præcepta melius innotescerent, & crebra operū spectacula æderentur. Verū quia obscuris sēpe præceptis, pertinaci contentionis sifice lumen excutitur: publicarū quoq; disputationum ratio adiecta est. Hoc dannant, quidā, & stylo rem agi uolunt. Quod si de huius artis experientijs intelligunt, nobis isti non aduersantur: si de præceptis, ne quæso tantopere stomachentur, si cum uniuerso doctrorū numero sentientes, ab eorū sentētia discedamus. Nam quis mibi uel mediocriter eruditus neget, artē ipsam præceptionibus multis sēpe obscuram, disputationis quasi flatu quodam illucescere, præsertim cūm aduersa sēpe probent, obiecta confirmant, contraria magis illustrent, cōcussa etiam solidentur? Compluti Grammaticorū concertationes ac publici cōflictus singulis hebdomadis fiunt, sanè quod intellegant uiri illi prudentissimi hac diligentia, magistrorū sedulitatē augeri, solertiā exercitari, segnitiem depelli, studentium quoq; animos cupiditate gloriæ inflammari, studia ardere, memoriam propagari, ingenium acui, deniq; omnia melius habere. Quod si illi rem hanc non sine doctrorū commendatione facitant: quid nos, quod idem in Rhetorica facultate Valentiæ fieri consulamus, traducimur & irridemur? Sed ualeant hic cum sua sententia, qui alijs quoq; siccitatem inesse uolunt, sibi uero latini sermonis pinguissimam ubertatē. Quāquām uideant interim hi boni homines, ne luxus ille tantus, in spinas & alias inutiles herbas degeneret. Cæterum quid si plures arbores sapidioresq; fructus aliorum damnata siccitas protulit, quām i florū tantopere uendita fœcunditas? Nos certè nunq; haec tenus ariditate tanta laborauimus, ut nostræ huius sterilitatis pœnitcret, aut cœnosa quorundam aqua irrigari concupiuemus. Quare luxuriet istis lingua in se iactando, & alios contemnendo: nos interim parcitate nostra tacendo areamus, soliti olim quingentorum auditorum numerum sēpe uidere, sed nusq; quod sciam, publicè predicare. Bene uale.

**Cosmi Violaiguæ Benefaçanensis monachi, &  
Theologi doctissimi, Tetrastichon.**

Quicquid agat, relegi qui uult, et in astra locari  
Lector, et aeterno nomine posse frui,  
Non satis est, tragicò quod cantet digna boatu,  
Sed Decium dicat composuisse, sat est.

**Iacobi Ioannis Falconi viri patricij,  
Hexastichon.**

Sit breuis haec Decij quis Oratio Patres,  
Grandis in exiguo corpore cultus inest.  
Omnis enim uarijs resplendet pagina gemmis,  
Tota scatet numeris dictio, tota tropis.  
Nil minus à Decio nos expectare decebat,  
Debuit à Decio res Deciana dari.

**Roderici Baeçæ, Carmen.**

Composuit Decius, recitauit Pontius, aedi  
Curarunt Patres hoc Ciceronis opus.  
Hic animum, ille aures, pascunt sed lumina Patres:  
Debueris Lector, cui magis: ipse uide.

**Michaelis Hieronymi Oliuerij  
Valentini.**

Quæ Decius calamo scripsit, quæ Pontius ore  
Protulit, haec Meyus dat tibi præssa typis.  
Ingenium, linguam, artem: mente, auditu, oculisq;  
Rhetoris, Actoris, Calcographiq; tene.

**FINIS.**



EIN



palau. barra. 9. III. 1948  
36 questi